AUGUSTINUS

Klosterneuburg, 3. Drittel 12. Jh. Seite 303r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=388
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



cietas. Laudate eum in chordis et organo. Chordas habet et psalterium
et cythara que superius commemorata sunt. Organum autem generale nomen est
uasorum omnium musicorum. quamuis iam obtinuerit consuetudo ut organa proprie
dicantur ea que inflantur follibus. quod genus hic esse significatum non arbitror. Nam
cum organum uocabulum grecum sit. ut dixi generale omnibus musicis instrumentis.
hoc cum folles adhibentur. alio greci nomine appellant. Ut autem organum dicatur
magis latina. et ea uulgaris est consuetudo. Quod ergo ait in chordis et or
gano. uidetur mihi aliquod organum quod chordas habeat significare uoluisse.
Non enim sola psalterium et cythare chordas habent. sed quia in psalterio et cytha
ra propter sonum ab inferioribus et superioribus inuentum est aliquid quod secundum hanc
distinctionem possit intelligi. aliud nos in ipsis chordis querere admo
nuit. quia et ipse caro sunt. sed iam a corruptione liberate. a quibus ideo fortasse
addidit organum. non ut singule sonent. sed ut diuersitate concordissima con
sonent. sicut ordinantur in organo. Habebunt enim etiam tunc sciencie differentias
suas consonantes non dissonantes. id est consentientes. non dissentientes. sicut fit
suauissimus cantus ex diuersis quidem. sed non aduersis sonis inter se. Stella enim a
stella differt in gloria. sic et resurrectio mortuorum. Laudate eum in
cymbalis bene sonantibus. laudate eum in cymbalis iubilationis.
Cymbala inuicem tangunt ut sonent. ideo a quibus dam labiis nostris compa
rata sunt. sed melius puto intelligi in cymbalis quodammodo laudare dominum. dum
quisque honoratur a proximo. non a se ipso. et inuicem honorantes. dant lau
dem deo. Neque autem cymbala intelliger et que sine anima sonant.
ideo additum puto in cymbalis iubilationis. Iubilatio namque id est ineff
abilis laus. non nisi ab anima proficiscitur. Hec preterea dum existimo quod
musici dicunt et res ipsa manifesta est tria esse genera sonorum. uoce. flatu.
pulsu. Voce. ut est per fauces et arterias. sine organo aliquo cantan
tis hominis. Flatu. sicut per tybiam. uel quod eiusmodi. Pulsu. sicut per cy
tharam. uel quod eiusmodi. Nullum itaque genus hic preter missum est. Nam
uox est in choro. flatus in tuba. pulsus in cytharis. tamquam mens.
spiritus. corpus. sed per similitudines. non proprietates. Quod ergo proposuit. laudate
dominum in sanctis eius. quibus hoc dixit. nisi eis ipsis. et in quibus ut dominum laudent.
nisi in se ipsis. Vos enim sancti eius inquit uirtus eius estis. sed quam fecit in uobis.
et potentatus eius. et multitudo magnitudinis eius quam fecit et ostendit
in uobis. Vos estis tuba. psalterium. cythara. tympanum. chorus.
chorde. et organum. et cymbala iubilationis bene sonantia. quia con